



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

LC  
29  
434



Sc29.434







# Jahresbericht

über das

## Gymnasium Carolo-Alexandrinum

zu Jena

von Ostern 1882 bis Ostern 1883.

### Inhalt:

- I. De Catullo Alexandrinorum imitatore commentatio philologica. Scripsit  
Guilelmus Henkel.
- II. Schulnachrichten vom Direktor.


---

Ŷ Jena.


Druck von A. Neuenhahn.

1883. Progr. Nr. 609.

Sc 29.434



*Salisbury fund.*

Non possum rehē de q̄ falluere  
 Non meruit aut quātis uiuorū officis  
 Nec fugiēs scolis obliuiscētibz etas  

 Illius ceca note tegat studiū  
 Sz dicam nob nos pouo dicite nullis  
 Os ilibz q̄ fatite h̄ cata lupual anis  
 Notescatū maḡ mortuus atqz maḡ  
 Nec tenues texens sblanis arduēa teld  
 Accuteū cometas flatuū dzeret  
 In medio illi nomine op̄s faciat  
 Nam nū q̄ dedit dup̄ amatū ra aurā  
 Scitis inq̄ me eoz uerū genē  
 Cū r̄zū aderez quātū triacā rupes  
 Imphaqz inctheis malilia senopib  
 Mesta neqz assiduo tabescē rumula fietu  
 Cessare uel iqz unbre madē gene  
 Quat ma maery plusens utice mentis  
 Rums museoso p̄lilit elapide  
 Quae at de pud̄ p̄rops ē uulō uolupt  
 P̄ meduz d̄n̄si transit it̄ populi  
 Duce uatoy lasso in sudore leuach  
 Cū ḡus exustos eff̄ hūllat agros  
 Huelut inuigro idelatis turbine nauis  
 Teni aspirans aurā secūda uenit  
 Tā p̄e pollucis iā cesteris implorate  
 Talē fuit nob̄ illius dixitū Amalli  
 Is dantiū lato patefent lim te campū  
 Isqz domū nolī isqz bedit d̄n̄ay  
 Ad d̄q̄ omnes exceremus amores  
 Quae uo med se molli candida diua pede  
 Tutillit q̄ritio fulgētes ilunine p̄latay  
 Inix a arguta q̄stih ut soled

Conuigis ut quōdā flagrans aduēi iahiqz  
 P̄tesileaz laudam id d̄n̄liz  
 Incepta fruitea n̄bi q̄cū sanguine sacio  
 Nosia celette pacificas heros  
 Nil m̄ tam natā plaeati famulidūgo  
 Oetner e uuntis succipiat heris  
 Quae uā uenit p̄uz desiceret d̄sa cruozes  
 D̄cta ē amisso ludom̄ia uuego  
 Conuigis ante coacto noluit d̄m̄itē colluz  
 Quae uaz nemens una atqz altd rurs̄ h̄yempis  
 Noctibz ilongis aliduz saturd̄s amores  
 P̄os̄ ut d̄beni upto uinē ḡungio  
 Quae scabāt p̄c nō longu q̄p̄ abisse  
 Similes muros isqz adpiacos  
 Nā cū pelene rapti p̄mores arguoz  
 Cepat ad se troid ciere uiuos  
 Troid nefds omne sepulcra alie europeqz  
 Troid uiruz q̄tū nisi om̄z d̄c̄ba ciuis  
 Quae ue ueteri d̄n̄io leny: misibile fr  
 Ad thilici mi p̄o s̄d̄si adempte in  
 Nēi m̄se s̄s̄si iocunōi q̄b̄l mine adeptus  
 T̄cus una lota ē n̄ra sepulta domus  
 Om̄ia tecuz una p̄uēt̄ gaudia n̄ra  
 Quae uemus uirta dulcis ale k̄h̄amoz  
 Quae n̄n̄c̄ tam longē nō iud̄ nota s̄p̄oa  
 Nec p̄pe cognatos p̄p̄olituz emeris  
 Sz troid oblcena troid itelice sepultuz  
 D̄etnell extremo t̄ra aliend̄a lolo  
 Ad d̄q̄tuz p̄p̄ans s̄ertur undic̄ pu es  
 E recd̄ p̄neit̄ d̄p̄uisse focos  
 Nec p̄s abducta ḡauisus lib̄a melza  
 O dia p̄ccato degeret in h̄aldmo  
 Quae t̄ tū edū pulcund̄ laudam̄ia





# De Catullo Alexandrinorum imitatore

scripsit

**Guil. Henkel.**

*τις γλαυκ' Ἀθήνας ἤγαγεν;*  
Ar. Av. 301.

Cum a. h. s. LXXV. itinere in Britanniam suscepto cum Joanne Classen, viro summa pietate a me colendo, Oxonii essem ibique Guilelmo Hertzberg, qui tum mihi praefectus erat, iubente in Bibliotheca Bodleiana munere quodam fungerer, H. Coxe doctissimus bibliothecarius, quem nuper diem obiisse supremum lugeo, certio rem me fecit, Aemilium Baehrens, academiae Jenensis doctorem de Catullo summopere meritum, non multo ante me adfuisse, ut codicem Canonicianum 30<sup>1)</sup> a Robinsonio Ellis primum diligentius tractatum inspiceret. Itaque cum antea multus fuisset in poeta Veronensi, ita tamen ut faceta eius poemata non tam acerrimo studio perscrutarer, quam oblectationis causa perlegerem, excepto vexatissimo illo carmine LXVIII. quod accuratius tractavi, occasione illa oblata facere non potui quin ad litteras quoque in arte critica versantes propius accederem. Atque ut quanta codicis Oxoniensis auctoritas esse videretur, ipse, si possem, diiudicarem, facultate liberalissime data nonnullos ei dies in B. Bodleiana tribui et carmen LXVIII. totum descripsi, cuius partem huic dissertatiunculae addidi specimen. Ex illo igitur tempore id potissimum egi, ut quaecunque de Catulli carminibus recensendis et in Germania et in Britannia scripta atque in lucem edita essent, inspicerem; quoniam vero quaestionibus criticis operam navare non meum est, cum magis ad litterarum cognitionem rationemque ipsam animum advertere soleam, imprimis id mihi inquirendum proponebam, quo vinculo poeta Veronensis cum Graecis coniunctus esse videretur. Quae res etsi in libris de litterarum historia conscriptis saepe adumbrata et dissertationibus est tractata, tamen facere non potui quin, quod meum de Catullo iisque quos imitatione expressit esset iudicium, aperirem. Qua in re cum antea praeter Theocriti idyllia poetarum Alexandrinorum opera legissem nulla, fateor ea ipsa re quod in Catullo operam collocabam, animum meum ad doctos illos poetas esse conversum ita, ut quae ad memoriam nostram pervenerunt ipsa legerem. Ceterum cum ad hanc commentationem accederem, id maxime spectavi ut eorum sententias refellerem, qui mirum esse putarent Catullum poetam tam divino spiritu inflammatum instituisse omnino talium virorum vestigiis, quibus omnia natura praeter ingenium vere poeticum dedisse videretur.

Nonne enim constat neminem fere, ne Shakespeario quidem Goethiove summis poetis exceptis, secundum legem quandam homini natura insitam ad summa pervenire potuisse

1) A. Baehrens, Cat. ed. 1876. Praef. p. XIV.

nisi imitandi quasi gradu antea superato? Nam ut tota genera, ita singuli pendent ex iis qui praecedebant. Summum autem hoc est, poetam his exercitationibus perfunctum et in se ipso positum nova proferre valere atque ingeniosa. Neque enim pro imitationibus habemus quae nobilissimi nostrae aetatis vates egregia Graecorum et Romanorum exempla secuti procreaverunt. Aliquo tamen iure contendere possis, ad nimium in imitando aliquem progressum esse, si, id quod in Catullo et Alexandrinis vides, modicum temporis spatium inter exemplaria et imitatores intercedat; quam rem ad poetae ingenium iudicandum atque intelligendum haud levis esse momenti per se patet. Nam ut omnium quae vivunt natura recte percipi intelligi non potest, nisi quomodo orta, aucta, nutrita sint perspexerimus, ita ad opera cuiusvis poetae examinanda compertum habeas oportet, quales fuerint eius institutio, disciplina, ingenii primitiae. Atque ut cum Catullo comparationem instituamus, haud scio an aptius e litteris summopere politarum, gentium exemplum afferri possit quam a Britannis, quorum litterae aequabilius constantiusque quam nostrae excultae sunt ac progressae; Georgium Byron dico, qui Thomam Moore Hibernum tam sincerum diligentemque vitae scriptorem invenit, ut ne minimam quidem rem omitteret, quae ad summi viri ingenium penitus cognoscendum aliquid proficere videretur.

Videmus autem eum non modo Homerum Aeschylum Euripidem, Tibullum Catullum <sup>1)</sup>, summo studio imitatum esse, verum etiam, id quod in eo qui pulcherima illa carmina Don Juan et Childe Harold composuit, vix credibile esse videtur, Alexandrum Pope, qui optimo iure princeps habetur poetarum illius sodalicii quod Artificial School vocatur. Is cum Iliadem et Odysseam suam anglice versam, qua magnas sibi paraverat divitias, Ricardo Bentley misisset, ut quid de suo Homero sentiret, sibi rescriberet, memorabile tulit responsum: „*It is a very pretty poem, Mr. Pope, but you must not call it Homer*“. Quoniam igitur constat, Prometheum illum Britannicum, quem pluris facimus quam multos Catullos, per complures annos vestigiis instituisse tantuli Alexandri, atque, ut e Francogallis quoque et Italis exemplum petam, etiam a Julio Caesare Scaliger, Tassone, Thuano, Montanio, summa admiratione cultum esse Ronsardium, quem Galliae Callimachum nomino, quid mirum est quod Catullus iuvenis ex Alexandrinis maximeque ex Callimacho pendet?

Quaenam autem inter Romanorum et Graecorum litteras intercederet ratio quo tempore haec in illas transire coeperint, vel ut de hominibus dicam, quo Veronensis poeta cum Cyrenensi coniunctus sit vinculo, haec ita inquirere, ut et totius saeculi et singulorum poetarum ingenii indolem spectes, magnam habet delectationem. Itaque hanc quaestiunculam, quam non *μεινυμένων*, sed tironum gratia suscepimus, ita, si placet, instituemus, ut primum quae in universum dicenda esse videantur, deinde quae ad Callimachum, postremo quae ad Catullum pertineant disputemus. —

Restat ut commemorem, quibus maxime scriptis praeter magnam dissertationum copiam, quas enumerare longum est, ad rem nostram spectantibus operam dederim:

Ch. G. Heyne, De genio saeculi Ptolemaeorum. Opusc. vol. I. p. 76sq.

L. C. Valckenaer, Callimachi elegiarum fragmenta cum Elegia Catulli Callimachea, ed: Joh. Lusac Lugd. Bat. 1799.

1) Praestantissima haec sunt: Hours of Idleness, Equal to Jove that youth must be etc. C. LI. Ille mi par esse deo videtur. — Oh! might J kiss those eyes of fire etc. C. VII. Quaeris quot mihi basiationes. — Ye Cupids, droop each little head. etc. C. III. Lugete, o Veneres Cupidinesque.

- M. Haupt, *Ind. Lect. Berol.* 1855.  
 F. Ritschl, *Die alexandrinischen Bibliotheken unter den ersten Ptolemaeern*, Opusc. I. 1838.  
 W. Hertzberg, *Quaestionum Propert;* cap. VII. *De imitatione poet. Al. Hal.* 1843.  
 Meineke, *Analecta Alexandrina*, Berol. 1843.  
 C. Dilthey, *De Callimachi Cydippa*, Lips. 1863.  
 L. Schwabe, *Quaestionum Catullianarum liber.* Gissae 1862.  
 O. Schneider, *Callimachea*, Lips. 1870.  
 R. Ellis, *Catulli Veron. liber.* Oxon. 1867.  
 A. Baehrens, *Catulli Veron. liber.* Lips. 1876.  
 E. Rohde, *Der griechische Roman und seine Vorläufer.* Leipzig 1876.  
 Bernhardy, *Grundriss der Gr. L.*  
 Idem, *Gr. der R. L.*

## I.

Non omnibus populis contigisse, ut in animi ingenique conformatione pariter progredierentur atque in republica augenda formandaque, ipsa docemur historia; nec difficile est intellectu quam raro evenerit, ut eadem gens qua aetate imperii sui finibus quam latissime prolatis summa apud exterarum gentes auctoritate polleret maximaque res domesticas administrandi peritia excelleret, eadem simul ad summum cum aliarum litterarum artiumque tum poseos eveheretur fastigium. Atque ut ab antiquis temporibus exordiamur, unum sortis tam felicis invenies exemplum Athenienses, quippe qui eadem fere aetate qua Pericles utilitati reipublicae prospiceret, in omnibus etiam vitae cultioris partibus studiisque tantopere floruerint, ut Sophoclem et Phidiam Thucydidemque viderent aequales. Eadem ratione, ut exemplum e recentioribus promamus temporibus, gentis Britannicae ingenium excolebatur et conformabatur; nam si paucos exceperis annos, quibus a iusto humanitatis cultusque tamquam gradu recedebant vel prorsus in nullam partem se movebant, quo melius confirmata et corroborata crescebat respublicae, eo laetius efflorescebant non modo eruditae antiquitatis studia verum etiam sermonis patrii litterae.

Itaque idem ille populus, cuius navigationes neque ultimae Thules glacie neque Libyci solis aestu terminantur, cuius imperio tot gentes reguntur, cuius ingenio artes quae ad utilitatem vitae pertinent excoluntur omnes, et medii, quod vocant, aevi et nostris temporibus adeo abundavit poetas, rerum scriptoribus, philosophis, ut etiam hac in re plurimas gentes superare videatur. Satis habeo monere, Eduardi Tertii aetatem protulisse Godofredum Chaucer, Elisabethae Guilelmum Shakespeare et Baconem, Oliveri Cromwell aetatem Joannem Milton, denique nostrum saeculum Georgium Byron! Aliter iudicandum esse de Germanarum gentium rebus, quis est qui ignoret? Sed ut in universum res gentis nostrae difficiliores sunt ad intelligendum quam aliarum quas novimus gentium, ita, si quaesiveris quomodo factum sit, ut Germanorum viri docti et poetae vernaculam linguam per tot saecula penitus repudiarent et tarde demum litterae nostrae renascerentur — tam variae sunt causae, ut paucis explicari omnino nequeant. Id unum velim tecum reputes, nobilissimos Germanorum poetas non multo ante extitisse quam in eo esset ut respublica funditus everteretur omniaque corruerent. Quid? quod Francogalli, qui et opibus et Marte secundo adiuti totius fere Europae summam imperii tenuerunt, ad

litterarum artiumque florem non prius pervenerunt, quam unus, cuius arbitrium pro legibus habebatur, imperaret omneque recuperandae reipublicae studium exstingeret Ludovicus Magnus.

Sed ne aequo longius digrediamur, priusquam ad id quod in hac commentatione nobis est propositum veniamus, nostro iudicio mirum non est, quod Roma orbis terrarum dominatum demum artium liberarum aetatem auream ingredi coepit, cum republica in praecipua data primum quidem nobilitas, denique unus summam rerum arriperet. Ac populus Romanus, qui omnes et corporis et ingenii opes eorum quos subegerat in suam convertebat utilitatem, quomodo factum sit, ut multis post Graecos saeculis eruditionis cultusque summum gradum ascenderet, cum e rebus gestis tum e natura et indole eius plane perspicitur. Namque Romanorum ingenium quatenus res usque ad historiae primordia integumento fabularum involuta persequi possumus, tale fuisse apparet, ut ad vitam communem easque artes quae huius vitae commodis inserviunt omnia referrent ideoque liberales artes pro gravitate sua ac ieiuna quadam severitate contemnerent. Unde factum est, ut in duobus potissimum studiorum generibus, quae a dulci Camenarum commercio sane longissime absunt, omnem operam collocarent, in iurisprudencia et belli artibus, quas tam impigre tamque prospere excoluerunt, ut ceteras antiquorum temporum gentes omnes multo superarent. Hanc palmam quis est qui eis detrectaverit? Quid igitur mirum quod Latium nunquam non viros tulit regendae reipublicae scientiores militiaeque peritiores, quam qui in Parnasso ingenii exercitationem sive animi quaererent oblectationem. Nam in illa urbe, ubi Jani templi valvae per tot saecula patebant, optimae vires et opes Justitiae inserviebant et Marti, ingenuis vero artibus, quae nisi otio et pace foventur omnino florere nequeunt, quamdiu domi ordines de sua quisque conditione publica decertabant, quamdiu orbis terrarum e divino oraculo Iuli subolis imperio non prorsus parebat pacatus, litterae non suum habebant honorem. Itaque Italia usque ad aetatem reipublicae dilabentis, quamvis Graecia ab antiquissimis temporibus primum quidem pedetemptim, mox maiore impetu ad Italorum cultum humanitatemque vim suam conferret, nihil, ne historicorum quidem studiis exceptis, tulit quod cum praeclaris illorum operibus posset comparari.

Maximi vero et gravissimi momenti fuit ad Graecorum ingenium cum Romanorum studiis artius coniungendum Corinthus a Mummio eversa, et Graecia suo iure et libertate privata atque in provinciae Romanae formam redacta. Roma enim quamvis victrix ingenii Graeci gravitati reluctari adeo non potuit, ut brevi Graecorum cultus et mores omnes vitae partes amplecterentur tantumque ad Romanorum naturam indolemque conformandam atque perpoliendam valerent, ut a Graecia subiecta Roma expugnata esse haud temere diceretur. Namque sermo Graecus non solum eo tum consilio colebatur et tractabatur, ut litterae atque opera Graecorum intelligi possent, sed etiam ab hominibus nobilioribus in usum communem adhibebatur. Itaque M. Terentius Varro alique priscorum morum quasi propugnatores, qui his studiis obniterentur, ne mores totiusque vitae institutio peregrina recepta disciplina corrumpere, rapido temporis cursu superati sunt et abrepti. Adde quod voluptatibus illa aetate in dies latius grassantibus bonorum morum corruptelae cultus victusque Graecus deliciarum plenus succurrebat. Quocumque animum adverteris, Graecos grammaticos, rhetores, philosophos eosque haud raro egregio praestantes ingenio in nobiliorum aedibus invenies, plerumque et litterarum et artis gymnasticae Graecae, qua antiquae Romanorum exercitationes obruebantur, magistros, recitatores, itinerum comites. Nec parvi aestimanda sunt itinera, quae adolescentes in ipsius Graeciae litterarum artiumque

domicilia ac sedes Athenas, Mytilenam, Rhodum susceperunt, non modo ut elegantioris vitae et politioris humanitatis praecepta ex illis haurirent, verum etiam ut efficaciores fierent ad rempublicam bene administrandam summosque in ea honores capessendos. Quod commercium quo magis augebatur, eo plura fieri non poterat quin scripta Graeca importarentur; mox totae a Graecia in Italiam migrabant bibliothecae, multa quo latius propagarentur opera in sermonem Latinum vertebantur.

Iam iam igitur ad litterarum Romanarum tanquam cardinem illum pervenimus, quo tempore in novas formas transierunt, cum Romani sive iudicio sive affinitate quadam ingenii impulsus ei litterarum Graecarum generi diligentissime operam navare coeperunt, quod cum primo legendo cognovissent et adamavissent, mox suapte ingenii vi et impetu excolere conati sunt ita ut per totam illam aetatem auctoritatem obtineret. Ut enim in eloquentiae studio egregia illa Atticorum exemplaria, imprimis Demosthenem, neglegebant, ita ne in poetarum quidem genere eligendo e vivo illo largoque fonte inde ab Homero usque ad Sophoclem scaturiente hauriebant, sed quasi in secundae mensae frustulis acquiescebant, quam ab artium patria tulit Aegyptus. Neque vero miri illius Romanorum et Alexandrinorum foederis causas difficile indagabis. Nam cum fracto ingenti illō infirmoque Alexandri Magni imperio Graecia ipsa deiecta iaceret, singulaeque civitates eversae essent, simul cum morum disciplina etiam sermo Graecus corrumpi, ingenii Graeci vires elanguescere, ipsaeque Musae obmutescere coeperunt. Una docta litterarum studia tutum praesidium invenerunt ac receptaculum aulam Ptolemaeorum Alexandrinam, quae urbs sedes facta est hominum ingeniosorum, qui id maxime agebant, ut ingentes illas opes a maioribus acceptas colligerent, conservarent, in ordinem redigerent. Multiplicis igitur variaeque doctrinae imprimis grammaticam spectantis iactatione illa aetas insignis; neque certe falluntur qui veras Graecorum litteras antiquiores iamdiu absolutas ante illa tempora fuisse contendunt ac perfectas. Neque enim Ptolemaei aut summa liberalitate aut artificii tempora illa revocare valuerunt ad divinam animi flammam, cui Graecorum poesis debebatur, excitandam idonea, nec docti illi viri Serapei et Musei custodes atque alumni, quippe qui re vera peregrini essent in Aegypto, a plebis Alexandrinae commercio ex omnium gentium colluvie permixtae omnique et rerum gestarum et humanitatis communitate carentis ac praeterea ob mores perditissimos infamis, intelligi aut quidquam proficere potuerunt. Ne aulae quidem regiae splendore aut regum gratia, quos non omnes optimis artibus favisse constat, nec templorum privatorumque aedificiorum maiestate nec pomparum magnificentia compensari illis poterat patria, libertas, amissa vera immortalium fides!

Quae cum ita essent, mirari non licet, quidquid poeseos et illis temporibus ad memoriam nostram pervenit, prorsus carere divina illa animi incitatione, neque iniuste nobis facere videmur, si viros illos strenuos, qui cum in bibliothecis instituendis digerendisque summan collocabant operam, tam multa milia versuum condebant, non pluris facimus quam facundos illos Francogallos, qui cum vitae condicionibus haud dissimilibus uterentur, munificentiam et bellicam gloriam Ludovici Magni frigidis suis versiculis celebrabant. Alexandrini, cum non multi extarent aequales qui iudicare possent, praecipue sociis ac sodalibus carmina sua condidisse videntur, quorum fabulas plerumque ex remotissimis temporis antiquissimi angulis congebant; quidquid autem ingenii vere poetici deerat, suppetebatur ingenti glossarum farragine, contortis sententiarum structuris, amplis digressionibus, vasta doctarum rerum congerie. Atta-

men plerique elegantia quadam atque tersa nitidaque oratione erant insignes. Nullus autem totius hominum generis et saeculi sui ingenium magis expressit quam Callimachus, qui optimo iure omnium eius aetatis instar poetarum iudicatur. Ceterum cum commentationem nostram sic instituerimus, ut de Callimacho fusius alio loco agendum esse videatur, mittamus eum et ad Romanos redeamus.

Antiquiores enim eorum poetae, imprimis Naevius, Ennius, Pacuvius usque ad Ciceronis aetatem cum sano usu iudicio poetarum Graecorum principes spectarent, Alexandrinos vero qui eodem tempore florebant, neglegerent, viri docti quo tempore respublica collabi coepit tanto studio illos secuti imitatique sunt, ut magnas mox litterarum partes genere suo amplecterentur atque continerent. Neque vero mirari hoc quidem licet. Jam enim monuimus magnum inter Graeciam et Italiam praecipue post Corinthum deletam intercessisse commercium, quo factum est, ut multi Romani in Graeciae urbibus diversa poeseos Alexandrinae genera, magnusque praeceptorum Graecorum numerus, inter quos Parthenius poeta elegiacus primum obtinebat locum, Romam confluerent. Sed ad has adventicias causas accedunt innatae insitaeque. Ac primum quidem similitudo quaedam rerum publicarum status atque rationis afferenda est. Namque simul cum civitatis libertate oppressa et in Romanorum imperio et in Alexandri Magni regnisque inde natis, magna illa vis quam populus ad litteras afferebat, in dies adeo minuebatur, vix ut illae in natura moribusque gentis iam positae esse viderentur. Hinc Romae homines nobilibus locis oriundi eo facilius Alexandrinos secuti sunt, quo magis Romanorum, de quo iam diximus, ingenium severum et vitae semper usum spectans naturae poetarum illorum, qui Alexandriae bibliothecis praeerant, non erat dissimile. Itaque omnes qui tum Romae ingenio valebant, polita tersaque Alexandrinorum opera respiciebant; cumque tragoedia et carmen vere melicum, id quod facile intellegitur, vix colerentur Alexandriae, carmina didactica, epyllia, poemata prima quaque occasione fusa, legebantur explicabantur, imitatione exprimebantur vertebantur.

Unus Lucretius prorsus carebat sociis, quippe qui sprete mole illa doctrinae undique congestae non sine causa vestigia Ennii optimorumque antiqui temporis poetarum vestigia sequeretur. Num autem ei, ut erat sibi constans et fortis gravisque, primus omnino inter poetas illius aetatis locus vindicandus sit — nec desunt qui ita censeant — satis dubitari potest; quamquam principatum ab eo minime abiudicaremus, nisi exstaret etiam Valerius Catullus. Ex hoc planissime cerni potest, Alexandriae poesis genus quam penitus tum invaserit litteras Romanas, atque ne ingeniosos quidem et ex semet ipsis aptos viros efficere potuisse, ut auctoritati illi, quam formae limaeque aequales attribuebant, prorsus non parerent. Nam etsi Niebuhrium ad nimium processisse iudicamus, cum summum quem Roma unquam viderit poetam esse Catullum<sup>1)</sup> contendat et parum apte eum cum praestantissimis Graecorum poetis comparet, tamen quo saepius ea carmina, quae ex suo ingenio Catullus condidisse apparet, perlegimus, eo magis iis adstipulamur, qui egregiis ingenii animique virtutibus adeo aequales poetam Veronensem superavisse putent, ut inter Romanos certe pauci eius pares esse videantur.

Namque amatoria eius poemata non solum verum sincerumque animi motum et calo-

1) Römische Geschichte, III., S. 127. Der grösste Dichter, den Rom gehabt hat, ist Catull .... Er hat ganz dieselbe Vollkommenheit wie die griechischen lyrischen Dichter.

rem spirant, sed etiam quamquam ad veritatem omnia vides expressa, summa arte sunt polita. Quo accedit varia rerum et numerorum copia quibus plerumque prospere utitur, atque ita ut suam servet naturam proprietatemque.

Attamen quoniam etiam Catullum maximis potissimum carminibus exempla Graeca secutum esse satis patet, ne eius quidem carmina summis illis vitiis non laborant, quorum in Alexandrinorum poematis nos taedet. Sed de his infra fusius agemus. Hoc loco id tantum ad rem illam explicandam atque excusandam addimus, etiam vero ingeniosoque poetae lyrico splendidissimisque praedito facultatibus, cum iuvenis esset, rationem fuisse habendam eius poesis generis, quod illo tempore vigeat, et nisi praemature obitu fuisset abreptus, proveciore aetate animi imperante impetu vincula illa naturae repugnantia excussurum fuisse.

## II.

Quod Goethius contendit, et gentibus et totis populis nonnunquam viros nasci singulos, in quos totius gentis et reipublicae virtutes ac vitia quasi in unum corpus coaluisse videantur, id in antiquorum et in recentiorum rebus tam saepe accidit, ut a vero illud minime abhorreere satis eluceat, nec quicquam sit negotii tales afferre viros, qui aetatis suae ingenium atque indolem exprimant. Atque ii illis potissimum temporibus existere mihi videntur, quae insignia sunt aut studiis in easdem semper res conversis aut litterarum inopia quadam atque sterilitate. Sed etiam tum cum litterarum studia vigent ac florent, interdum fit ut existant qui a similibus multitudine, nisi praestantia atque earum rerum quas cum his communia habeant, haud differant. Satis est nominasse Lucianum, Erasmus, Voltarium, quorum quisque quae fuerit aequalium eruditionis et morum summa plane declarat. Ac si Alexandrinos percensueris, quorum e scriptis quales ipsi fuerint iudicare licet, vix dubitabis quin omnium eius aetatis poetarum doctorumque virorum instar habendus sit Callimachus. Sed propterea satis difficile est verum iustumque de eo facere iudicium, quod et omnibus litterarum partibus operam navavit, et saepe secum pugnat atque adeo sibi non constat, ut sententiis vel maxime contrariis quas viri docti de eo tulerunt, auctoritas quaedam sit vindicanda. Quoniam autem Cyrenensis poetae ingenium cum ad omnem Romanorum poesin tum ad Catulli, Propertii, Tibulli carmina elegiaca maximi fuisse momenti in propatulo est, omnibus temporibus fuerunt qui gravissimam illam quaestionem moverent, nec forte unquam prorsus disceptari poterit, cum parvis tantum fragmentis iudicium nostrum nitatur. Difficile enim esse, aut ut verius dicam, omnino vix fieri posse, ut ingenium virtutemque Callimachi paucis complectaris, intelliges, si in aliorum gentium litteris similia quaesiveris, neque enim quemquam invenies quem cum hoc viro Proteo simillimo iuste conferre possis. Idem dicendum est de comparatione cum Ronsardio a me supra instituta, quamquam docto huic Franco-Gallorum poetae haud pauca cum illo sunt communia, sive indolem spectas ipsam, sive magnum quod habebat uterque ad litteras excolendas momentum. Nam quicumque qualis fuerit saeculi XVI. litterarum condicio, non ignorat, Ronsardium, Antonii Mureti amicum, cum Europae terris ad occidentem spectantibus peragratis magnum rerum usum prudentiamque sibi parasset, libris omnis litterarum generis conscriptis et multis poematis, quae et obsoletis et novis inauditisque locutionibus turgebant, compositis, nactum esse, ut



ita dicam, principatum sermonis atque poseos, quippe quem non modo reges summis honoribus afficerent, verum etiam, quod multo gravius est, ingeniosissimi Galliae et Italiae homines singulari colerent admiratione. Attamen plurima eius carmina frigida nimisque artificiosa nobis videntur, cum rursus elegiae eius, quales fingunt Franco-Galli et Epicurea, quae dicunt, carmina suavitate atque simplicitate nos delectant. Eodem miro modo inter se discrepant, quoad hodie iudicare licet, *Κυδίπη* venustissimum Callimachi epyllion, et ineptum carmen quod inscribitur *Ἴβις*.

Ceterum Callimachus quod triginta fere annos natus postquam iam multa conscripsit, aditum ad aulam Ptolemaeorum sibi patefecit, et paullo post Museo praepositus sui iuris factus est, summi fuisse momenti ad viam quam hoc ex tempore ingressus est, per se patet. Namque amplissimae Bibliothecae opes impigro eius ingenio animique sollertiae materiam praebuerunt maximam et ad tantum procreandi studium impulerunt, ut, etsi operum, quae composuisse fertur, numerus nimium auctus esse videtur, omnium quos unquam fuisse scimus bibliothecariorum existeret *πολυγραφέατος*.

Inter parvas Callimacheae poseos reliquias, quas et ipsas vim suam in litteris Romanis exercuisse constat, extant etiam epigrammata, quae quamvis haud ampla sint, ut fert huius generis natura, tamen satis varia habent argumenta, neque ego quidem in praestantissimis Battiadae operibus ea numerare dubitem, cum praesertim haud pauca sint non insulsa lepidissimisque facetiis insignia. Ceterum idem valet in aliorum poetarum Alexandrinorum quos quidem novimus epigrammata velut Asclepiadis, et in ea quae Theocriti atque Alexandri Aetoli nominibus circumferuntur. Atque omnino plurimum profecisse in hoc potissimum genere doctos illos viros apparet, quos cum amplioribus poematis operam darent spiritus saepenumero defecisse videtur. Ex epigrammatis autem verius quam ex aliis operibus natura atque ratio illius aetatis cerni potest; namque elogia, tabulae votivae, faceta iudicia, carmina adulatoria vario agmine per ora nostra incedunt, quo toto in genere Cyrenensis, qui et hac in re saeculum suum expressit, facile princeps aestimandus est. Quo factum est ut magis magisque illud in usum veniret, neque solum apud Graecos Romanosque, verum etiam apud posteriores gentes post renatas saec. XV. et XVI. litteras singulari quadam floreret auctoritate. Quod autem ad ipsa Ptolemaeorum tempora attinet, nulla re alia poetae et grammatici facilius perficere potuerunt, ut regum reginarumque gratiam atque liberalitatem sibi conciliarent quam epigrammatis, velut Berenice cum Venere comparatur et Callimachus Arsinoae nonnullos versiculos conchae inscriptos dedicat. Quamquam et Battiadae et Apollonii Rhodii, adversarii eius, extant epigrammata quibus de se ipsi gloriosius praedicent. Multa praeterea, id quod facile intelliges, versantur in rebus amatoriiis, ut apud nostrum quarta fere totius voluminis pars. Atque magnam profecto affert delectationem ad hominum animos penitus cognoscendos animadvertere, quantus eruditus illis hominibus in pulvere bibliothecarum umbraticam usque vitam degentibus calor corporisque formositatis cultus atque admiratio superfuisse videatur, ad Phrynen aliquam vel Thaida vel aliam *Ἀφροδίτης πανδήμου* sacerdotulam summis laudibus extollendam! Iam vero, quod multo magis quam haec omnia miros nos habet, haud raro apud eos grave quiddam ac triste, quod a vero Graecae antiquitatis ingenio prorsus abhorrere videtur. Vix tamen negari poterit, haec tum lasciviora carmina illos confecisse, cum admodum iuvenes essent neque iam ad elaboratoris artis suae summam pervenissent. Imprimis delectamur, si quomodo ipsi perlectis illis versiculis affecti

simus dicere licet, multis poetae Cyrenensis epitaphiis, quorum sermo, etiamsi vel de servis agitur, saepe eiusmodi est, ut veram humanitatem sincerumque spiret amorem<sup>1)</sup>. Toto igitur huic generi, quod elegiacam et didacticam, quam vocamus, poesin vitaeque quotidianae sapientiam angustis finibus amplectitur, Callimachus, quem et ipsis epigrammatis cum Apollonio, Argonauticorum auctore, acerrime certasse notum est, certam quandam formam, absolutam ac perfectam dedit; et admodum illo doctissimum quemque atque eruditissimum Romanorum pro captu ingenioque gentis delectatum esse est perspicuum. Sic Catullus lepidissimis suis epigrammatis tanquam telis usus est adversus magnam illam aequalium catervam quorum mores iram eius concitaverant. Sed hoc loco non uberius nobis agendum est de ea re; quae quamquam summi esse momenti ad poesin Alexandrinam vim ac proprietatem in propatulo est, tamen ad id quo maxime tendimus, id tantum valere videbatur, ut in transcurso saltem esse tractandam putaremus. In hoc igitur genere cum primas deferre partes Callimacho nemo dubitet, de ceteris eius carminibus magna semper fuit inter viros doctos dissensio. Inter quos satis est duos nominare, Valckenarium, qui Cyrenensem cum Sophocle comparare ausus est<sup>2)</sup>, et Guilelmum Hertzberg<sup>3)</sup>, cui Callimachus, in plerisque eorum carminum, quae nunc quidem comparent, versificator potius videtur esse quam poeta.

Quorum utrumque modum excessisse non difficile est probatu. Nam de eis Alexandrinorum poematis, quae proprie vereque dicuntur lyrica, notum est fragmenta ad nos pervenisse paucissima. Ac ne in hoc quidem genere illi bona antiquorum temporum exemplaria imitati sunt, sed mixta quaedam genera conformaverunt, qua re efficitur ut ad unam certamque regulam iudicium vix dirigere possis. Neque ulla fere metra invenerunt nova exceptis lascivis illis versibus Sotadeis<sup>4)</sup> et Galliambis, e quibus quales fuerint illius aevi mores cognosci potest. Lyrica igitur poesi Alexandrinos minimum valuisse perspicuum est, id quod non mirum videtur, quippe cuius ipsa natura atque indoles a ratione ac voluntate florentissimorum illius aetatis scriptorum summopere abhorreat iisque potissimum carminibus prima quaque occasione oblata compositis contineatur, quae deorum regumque Ptolemaeorum celebrandorum causa diebus festis recitari solebant. Inter quae insignes erant hymni Callimachi, qui licet et ipsi doctrina maderent mythologica, tamen non solum in usum ac delectationem ipsorum grammaticorum esse condita videntur, verum etiam eo consilio ut mutatis nominibus gloriam Ptolemaeorum diebus sacris laudibus efferent; velut primus hymnus *Εἰς Δία*,

1) Anth. Pal. VII. 460. Meineke XXVI.

Anth. Pal. VII. 459. Meineke XVI.

Anth. Pal. VII. 519. Meineke XIV.

Anth. Pal. VII. 519. Meineke XX., quod cum inter cetera pietate sit insigne hic apposuimus:

*Ἡῶι Μελάνιππον ἐθάπτομεν, ἥελιον δὲ  
δυννομένον Βασιλῶ κάτθανε παρθενική,  
αὐτοχερὶ . ζῶειν γὰρ ἀδελφεὸν ἐν πυρὶ θεῖσα  
οὐκ ἔτλη . δίδυμον δ' οἶκος ἐρεῖδε κακόν  
πατρὸς Ἀριστίπποιο· κατήφησεν δὲ Κυρήνη  
πᾶσα τὸν εὐτεκνον χῆρον ἰδοῦσα δόμον.*

2) Call. Eleg. fr. p. 262, Sophoclis hac etiam parte ut in aliis multis similis fuit Callimachus.

3) Quaest. Prop. p. 189.

4) Strabon. XIV. p. 468. ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν πρῶτος κιναιδολογῆν.

quem cum inter ipsas libationes<sup>1)</sup> ad aram Iovis esse recitatum, id quod e primis verbis concludi potest, tum in laude Ptolemaei, terrestris dei, versari apparet. Idem etiam magis valere nobis videtur in magnum illum hymnum *Εἰς Ἀῆλον*, quo — versibus trecentis viginti quinque — descriptionibus digressionibusque satis variis miseri Latonae parturientis errores, nascituri<sup>2)</sup> natiq̄ Apollinis et Ptolemaei Philadelphi laudes canuntur. Deinde illud poema quod inscribitur *Εἰς Ἰσχυεῖν* plenum narratiunculis, iisque suavissimis, tanta omnis generis rerum copia abundat, ut quo omnino tendat auctor, interdum haud facile sit intellectu, quamquam Ephesum urbem a Ptolemaeo captam designari constat. Hymno sexto *Εἰς Ἀθήμητρα* composito Callimachus narrat quam multa Ceres diutinis passa sit errationibus multisque de locis deae sacris agit, deinde per longissimam digressionem de Erysiichthone et rebus singulis ad Cereris cultum pertinentibus. Hoc quoque carmine regis gloriam quo tempore Cariam imperio suo adiecerat augeri voluit. Hymno denique *Εἰς Ἀπόλλωνα* Cyrene, Battiadarum patria, quae et ipsa cum imperio Aegyptio coniuncta erat, et Ptolemaeus rex victor sub Solis nomine celebrantur.

Omnibus his poematis, quorum alia antiquissimis illis hymnis qui Homeri nomine circumferebantur, alia ab iis abhorrent, communia sunt ingens vis digressionum fabularumque, profana cum sacris mixta, multi iique subiti ad res diversissimas transitus, inopinatae deorum ἀποστροφῶν, lyrici et epici sermonis commutatio. Ex his quoque cerni potest, Callimachum id egisse, ut fines omnes inter diversa litterarum genera sive natura sive usu ortos extingueret, id quod saeculo illi ad deteriora vergenti diversissimasque res permiscenti atque confundenti prorsus conveniebat. Adde huc quod Cyrenensis verissimum illud ἀπόφθεγμα Aristotelicum ἀντὴ ἢ φύσις τὸ οὐκ εἶναι μέτρον εὗρεν adeo neglexit, ut versum hexametrum cuilibet dicendi ac sentiendi generi aptaret, qua ex re poesis lyrica quantopere tum deflorescere coeperit ubivis cognoscere licet. Nonne iisdem fere de causis apud Franco-Gallos Alexandrinus, qui dicitur, versus inde a saeculo XVII. Thoma Cornelio auctore tantum valere coepit, ut omnia poeseos genera ad hoc usque tempus amplectatur? Quocumque igitur animum converteris, et ceterorum Alexandrinorum et Callimachi principis carmina, cum ipsi circa externarum pusillarumque rerum species saepe haereant, carere videbis miro illo concentu, qui inter numeros et ipsa argumenta intercedit praeclarissimorum antiquitatis exemplarium. Quid? quod Callimachus nimius fuisse videtur in figuris, quae vocantur, ἀντιθέσεις et ἀναφορά adhibendis, quo vitio Alexander Pope elegantissimus atque artificiosissimus auctor poematis quod inscriptus est *Essay on Man*, atque eius epigoni adeo laborant, ut et ipsi hac quoque in re cum Alexandrinis recte comparandi esse videantur. Cuius rei notissimum exemplum est locus ille hymni *Εἰς Ἀῆλον*<sup>3)</sup>, ubi quatuor deinceps versus incipiunt verbis χρύσεια, χρυσῶ, χρύσειον, χρυσῶ, quae sequitur quinti versus tertium vocabulum χρυσεῖοιο. Etiam κῶλα aequae longa similibusque constantia verbis ex adverso ponere solet, qua re efficitur ut breves enuntiationes atque abruptae inter se respondeant et oratio oriatur crebris clausulis concisa.

1) Ζηνὸς ἔοι τί κεν ἄλλο παρὰ σπονδῆσιν ἀείδειν  
λάϊον.

2) In ipso utero matris puerum vaticinantem audimus de Gallis, qui duce Brenno Phocidem sint irrupturi, ut templum Delphicum diripiant. vv. 162sq., nimis autem inepte Latonam matrem puerperio excruciatam poeta exhortantem facit ut prosiliat: v. 214. γείνεο, γείνεο κοῦρε, καὶ ἦπιος ἐξιθι κόλπου.

3) vv. 160sq.

